Zu der

öffentlichen Prüfung,

welche

am 22. und 23. März 1877

in dem Gymnasium Carolinum

und

in der Elementar-Schule

veranstaltet werden wird,

ladet ehrerbietigst und ergebenst ein

Dr. F. W. Schmidt,

Schulrath.

Inhalt:

De adiectivorum compositorum usu Euripideo scripsit C. Rieck.

1877. Progr.-Nr. 537.

Neu-Strelitz.

Schnellpressendruck der Hofbuchdruckerei und Lith. Anstalt von H. Hellwig.

1877.

De adiectivorum compositorum usu Euripideo.

Multi semper viri docti, cum certatim in eo elaborarent, ut sermonis tragici naturam atque indolem accurate perspicerent certisque finibus illud dicendi genus circumscriberent non solum quid esset proprium cuique virorum in tragoedia graeca principum, verum etiam quid differet sublimis ille et contemptor vulgarium animus nascentis potissimum tragoediae ab epici carminis simplicitate, exemplis allatis docere studuerunt. Atque si quaerimus, quid discriminis intercedat inter elocutionem tragicam et epicam, facile inveniemus, eo potissimum nomine alteram ab altera abhorrere, ut quod pluribus notionibus et vel integris phrasibus pro carminis indole exprimat poëta epicus, id in unum atque solidum vocabuli compositi corpus contractum proloquatur tragicus; quod vocabulis ille simplicibus, interdum satis ieiunis, enarret id compositorum elegantia exornatum hic non sine animi oblectatione audientibus proponat. Exempli gratia pro eo, quod est apud Homerum *θεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος* Od. 3. 110. clarissimus cohortis tragicae dux atque antesignanus proprii ingenii impetu finxit *θεομήστωρ* Pers. 653; cum Homerus scribat Il. 5. 493: *δάκε δὲ φρένας Ἕκτορι μῦθος* apud Aeschylum legimus Ag. 1471: *καρδιόδηκτον ἐμοὶ κράτος*. Quantum vero distet epici carminis simplicitas a laetissima tragoediae copia, videbis ex homericis *Ἀτρείδα δύω, δύω Ἀντήνορος υἷε, δύο ἤματα* ect. si comparaveris cum tragicorum inventis *δικρατεῖς Ἀτρεῖδαι, διφυίοισι Ταντελίδαισιν, δισσάρχας βασιλῆς, Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος, διθρόνου Διόθεν καὶ δισκήπτρου τιμῆς ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶν, δίπτυχοι νεανίαι, δίπτυχοι μῆνες*. — Nec mirum; tragoedia enim, quippe quae in vehementibus animi affectibus concitandis versetur, ea est, quae summam audaciam cum reliquis in rebus tum in usurpandis vocabulis compositis non solum permittat, sed vel exposcere videatur. Profecto multo magis accommodata sunt ad animos vehementer commovendos quae ad vocabuli unitatem conexa et ad unam imaginem

---

In citandis Aeschyli et Sophoclis locis editionibus usus sum Dindorfianis; Euripidis versus indicavi ex editione Kirchhoffii.

coniuncta in mentem influunt, quam quae singillatim ei adnumerantur. [1] — Aeschylus igitur, sermonis tragici inventor (Arist. Ran. 1004), cum intellegeret, novo carminum generi ad depingendos vehementiores animi motus altiores spiritus esse assumendos, sicut cothurno invento personas passibus majoribus quam humanis incedere fecit, ita etiam in eligendo dicendi genere, semitas satis tritas iterare dedignatus, maluit vocabulis antea inauditis, grandisonis et exaggeratis audientium animos oblectare. Itaque ad componendi munus diligenter suscipiendum non minus ipsa artis indole quam naturali desiderio impulsus, felicissima animi audacia linguam quo nondum perrexerat suopte ingenio adduxit. Cum autem non nunquam, praesertim in fingendis canticis, dithyrambico quodam furore abreptus, portentosa progigneret vocabula, quae sine pulmonis vexatione et anhelitu vix possent pronuntiari, fieri non potuit quin in comicorum irrisionem incurreret. Aristophanes enim in Ranarum fabulae parte posteriore, ubi Euripidem de palma poetica disceptantem facit cum Aeschylo, hunc poëtam appellat *κομποφακελορρήμονα* (v. 839), *ῥήματα γομφοπαγῆ πινακηδὸν ἀποσπῶντα* (v. 823) cuius singula verba haud raro essent sesquipedalia, atroci quasi supercilio torva (v. 924: *ῥήματ᾽ ἂν βόεια δώδεκ᾽ εἶπεν ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους.* cf. epigr. Antipatri Iacobs. del. epigr. IV. 55: *ὀφρυόεσσαν ἀοιδὴν πυργώσας.*) — Attamen si perlustramus totam inventorum Aeschyleorum seriem recensu habito luce clarius apparebit, semper poetam in componendi provincia administranda certis se finibus tenuisse neque unquam usque adeo audaciae indulsisse, ut summas compositionis leges migraret: si quidem numquam ultra bina membra coniunxit (cf. Todt. de Aeschylo vocabulorum inventore. Halis. 1855). Quid igitur? iniustam Aristophanes sententiam tulit de eo, cui palmam tragicam deferre non dubitabat? Minime credas. Itaque aliud quid circumspiciamus oportet, quod subveniat angustiis nostris; aliud quid investigandum est, quod declaret, cur dictio tragica comicis acerba irrisione digna visa sit, id quod sola vocabula ponderosa vix possunt declarare. — Porro si consideramus Sophoclis et Euripidis fabulas, quae procul dubio inventorum audacia et verborum granditate Aeschyleis longe cedunt, nonne et ipsae tragicum prae se ferunt colorem, nonne toto caelo distant et ab epici carminis copiosa simplicitate et a sedato

---

[1]) Qua de re exstat iudicium G. Humboldtii, acerrimi profecto iudicis: Einleitung in die Kawispr. VI. 327.) „Es ist offenbar von grosser Wichtigkeit, wie viel eine Sprache in Ein Wort einschliesst, statt sich der Umschreibung durch mehrere zu bedienen. Auch der gute Schriftsteller übt hierin sorgfältige Unterscheidung, wo ihm die Sprache die Wahl freilässt. Das richtige Gleichgewicht, welches die griechische Sprache hierin beobachtet, gehört gewiss zu ihren grössten Schönheiten. Das in einem Wort Verbundene stellt sich auch der Seele mehr als Eins dar, da die Wörter in der Sprache das sind, was die Individuen in der Wirklichkeit. Es erregt lebendiger die Einbildungskraft, als was dieser einzeln zugezählt wird. Daher ist das Einschliessen in Ein Wort mehr Sache der Einbildungskraft, die Trennung mehr die des Verstandes."

orationis pedestris flumine? Atque ut iam mittamus vocabula usus insolentia conspicua aut plane novata, restant tamen sat multa quae redolent tragici fabricam, quamquam per se prorsus nihil habent quod miremur vitaeque cotidianae usu teruntur. Quid igitur id est, quod in talibus locis verborum insolentia carentibus spirat cothurni tragici sublimitatem? Est profecto audacissima adiectivorum, maxime compositorum, cum substantivis coniunctio, qua in re, ut ait Ellendtius (in lex. Soph. tom. II. pg. 84 s. v. *μεσόμφαλος*) mire scenicorum poetarum licentia luxuriata est. Quare non inutile erit ad tragicorum dicendi genus penitus cognoscendum tales adiectivorum compositorum ad substantiva appositiones accurate conquisitas et in diversa genera distributas enumerare. Quamquam autem pro tota poesis Aeschyleae natura non dubium potest videri, quin Sophoclea et Euripidea vix adspirent ad miram Aeschyleorum audaciam, tamen ego mihi proposui, ut accuratius paullo inquirerem in adiectivorum compositorum usum, qualis est apud Euripidem. Totam autem materiam ita optime distribuere mihi videor, ut primum dicam de appositionibus ob abundantiam quandam conspicuis, tum de iis locis pauca disseram, quibus adiectivum substantivi vices genitivo casu positi sustinet; deinde verba faciam de eo adiectivorum usu, quem hypallages quae dicitur figura solent explicare: denique exponam de eo appositionum genere, quod vix expedias, nisi adiectivum compositum in membra dissolveris. —

I. Itaque cum primo disputationis loco agendum sit de ea adiectivorum cum substantivis coniunctione, quae est ob abundantiam quandam conspicua, duplici modo potest fieri talis abundantia. Primum enim tum fit, cum substantivi notio altero adiectivi compositi membro iteratur, ut in vertendo facillime utaris simplici adiectivo. Cuius licentiae exempla satis multa pariter exstare apud omnes poetas tragicos non est quod mireris. Nam cum ea sit harum appositionum ratio, ut non tam inserviant evidentiae qualem sibi mens expostulat, quam blandiantur sensibus audientium, maximam partem non sunt inanis loquacitatis, sed gratissimae ubertatis specimina. — Tum vero apud Euripidem permulta habes composita, quorum alterum membrum, cum non referat eandem, quae substantivo subiecta est, notionem, tamen prorsus nihil facit ad loci sententiam, ut compositum pro simplici vocabulo usurpatum esse iure contendas. Ac vere si volumus iudicare, fatendum erit, hunc vocabulorum compositorum abusum summo poeta parum dignum, immo computandum esse levitati cuidam Euripidis, qui cum intellegeret tragoediam ipsius opera de maiestate deiectam et socco paene incendentem stare non posse, omnis generis fucum inanem avidius consectatus et intemperantius, artificiose ad pristinam sublimitatem studuit eam revocare. Contra quae apud Euripidem haud raro parum absunt ab inani verborum sonitu, eadem apud Sophoclem numquam ita adhibentur ut propria sua vi plane exuta sint, sed potius incredibilem orationi et venustatem addunt et gravitatem, id quod docta

disputatione comprobavit Fr. G. Schmidt. de ubert. or. Soph. I. pg. 8. — Sed iam ad singula pergamus.

1. Hipp. 668 Phaedra infelicissimam mulierum fortunam significatura *τάλανες*, inquit, *ὦ κακοτυχεῖς γυναικῶν πότμοι*. Fortunae autem notio cum apud tragicos exprimi soleat aut voce *πότμος* aut *τύχη* aut *ξυμφορά*, liquet, adiectivum compositum *κακοτυχής* idem valere quod simplici adiectivo *κακός* brevius quidem, sed sine dubio minus ornate poterat dici. Simillimus est alius Hippolyti locus v. 826, ubi inversa ratione dixit *τύχαν βαρύποτμον*, cum El. 301. maluerit *τύχας βαρείας*. Phoen. 1345: *ξυμφορᾶς βαρυποτμωτάτας*. cf. Aesch. Ag. 1136: *κακόποτμοι τύχαι*. — Iph. Aul. 919 *ὑψηλόφρων θυμός* est animus superbiens; frgt. 364: *γυναικόφρων θυμός*. Aesch. Suppl. 53: *σιδηρόφρων θυμός*. Heracl. 387: *φρονημάτων ὑπερφρόνων*. Med. 176: *βαρύθυμος ὀργή*. Ion. 1207: *φοινικοσκελεῖς χηλάς*. frgt. 862: *αἱματωπὸν ὄμμα*. Imprimis autem adiectiva a voce *καλός* derivata, quae in deliciis habuisse Euripidem docuit Schirlitzius (de sermon. trag. per Eur. increment. pg. 43.) persaepe ita leguntur, ut tantummodo prioris membri notio ad loci sensum adhibeatur. Troad. 860: *καλλιφεγγὲς σέλας* a simplici *καλός* nihil omnino distat. Andr. 1155: *δέμας τὸ καλλίμορφον*. Phoen. 645: *καλλιπόταμος νότις*. Troad. 1194: *καλλίπηχυς βραχίων*, quocum licet conferre Chaerem. Oineus. frg. 14,7: *καλλιχειρες ὠλέναι*. — Monet tamen Schirlitzius l. l. pg. 95, cavendum esse ne in iis abundantiam statuamus inesse, quae reapse aliena sunt ab inani abundantia; cuius rei exemplum affert Iph. A. 1080: *καλλικόμας πλόκαμος*. Et re vera si diligenter perpendimus singularum notionum vim, voce *κόμη* capillus significatur, quatenus capiti humano decori est et ornamento (cf. H. Schmidt synonymica graec. tom I. pg. 382). *πλόκαμος* autem, cum sit cincinnus, ad exterum capilli habitum, praecipue artificiosum spectat. Attamen, quamquam confitendum erit, non prorsus eandem utrique notioni vim esse subiectam, non possum concedere, omnem loci abundantiam evanescere; immo ne ipse quidem Euripides propriam singulorum vocabulorum vim anxie aurificis statera videtur examinasse, quippe qui omnes fere notiones, quae capillum significant, inter se coniungere non dubitaverit. Bach. 112: *λευκοτρίχων πλοκάμων*. cf. Phoen. 308: *βοστρύχων τε κυανόχρωτα χαίτας πλόκαμον*. Iph. Aul. 1437: *πλόκαμον τριχός*. El. 515: *χαίτης βοστρύχους*. ibd. 520. 527. Neque aliter iudicandum erit de altero, quem Schirlitzius affert, loco frg. 53: *περισσόμυθος λόγος*.

Quae modo enumeravi adiectiva erant attributiva (cf. Curtii gr. gr. pg. 195); eadem vero abundantia non raro cernitur in determinativis. Alc. 906: *μονόπαις κόρος* filius est unicus. Iph. T. 1325: *ἀγχίπλους πόρος*. frgt. adesp. 458: *πυκνοφθαλμοὶ κόραι*. Porro El. 1172: *μητρὸς νεοφόνοις ἐν αἵμασι πεφυρμένοι*, cum *αἷμα* propter additam praepositionem per metonymiam explicari debeat „caedes" nihil aliud est nisi „nova matris

caedes,[1] *καινὸν αἷμα*, uti praebet codex Herc. fur. 831. cf. Soph. Ai. 546: *νεοσφαγῆ φόνον.* — Iph. Aul. 421: *θηλύπους βάσις*, quoniam *βάσις* non gressus est, sed pes, nihil aliud valet nisi *θηλεῖα βάσις* cf. Schirl. l. l. pg. 53. frgt. 544: *λεοντόπους βάσις* pes leoninus. Bach. 169: *κῶλον ἄγει τυχόπουν.* Phoen. 1549: *τυφλόπους πούς*; cf. etiam Hec. 66: *βραδύπους ἤλυσις ἄρθρων.* — Iph. Aul. 174: *ἐλάταις χιλιόναυσιν* mille navibus; Iph. T. 140: *κλεινᾷ σὺν κώπᾳ χιλιοναύτᾳ*: quamquam Alc. 444: *ἐλάτῃ δίκωπος* non eodem loco censendum erit; nam cum *ἐλάτῃ* navem significet, est navis biremis; adjectivum igitur *δίκωπος* attributivum est.

Imprimis autem frequens, quamquam ni fallor paullo mitior eadem est ubertas, si in adiectivis locum habet cum particulis *εὖ* et *δυς* compositis. Exempla Euripidea haec fere sunt: Troad. 124: *εὔορμοι λιμένες.* Phoen. 1217: *εὐάγγελος φήμη.* Med. 200: *εὔδειπνοι δαῖτες.* Hipp. 200: *εὐπήχεις χεῖρες.* Bach. 1157: *εὔθυρσος νάρθηξ* Hipp. 605: *δεξιὰ εὐώλενος.* Herc. f. 689: *τὸν Λατοῦς εὔπαιδα γόνον* cf. Iph. T. 1234. Iph. A. 790: *εὐπλοκάμου κόμας.* Alc. 926: *παρ' εὐτυχῆ πότμον.* cf. Troad. 244. Iph. Aul. 1523; ibd. 550: *ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ* cf. Soph. Trach. 81: *βίοτον εὐαίωνα.* Bach. 426: *εὐαίωνα διαζῆν.* Quibus locis omnibus posterius compositionis membrum ad sententiam nihil novi affert, id quod multo etiam magis patet, si ad tantam poeta audaciam progreditur, ut cum substantivo adiectivum ab eadem radice derivatum copulare non dubitet. Bach. 66: *εὐκάματος κάματος* labor non laboriosus. Iph. T. 897: *πόρον εὔπορον.* Cf. etiam Ion. 884: *ἀχεῖ ὕμνους εὐαχήτους.* — Multo etiam latius eadem patet poetae audacia in adiectivis a syllaba *δυς* incipientibus. Hel. 213: *αἰὼν δυσαίων*, quod similiter expressit Suppl. 960: *δυσαίων βίος.* Phoen. 1047: *γάμους δυσγάμους.* Iph. T. 203: *δαίμων δυσδαίμων.* ibd. 143: *δυσθρηνήτοις θρήνοις.* Troad. 75: *δύσνοστον νόστον*, ubi tamen Kirchhoffius scripsit *δύστηνον.* Iph. T. 216: *νύμφαν δύσνυμφον.* Troad. 471: *δυστυχῆ τύχην.* Hec. 194: *δυσφήμους φήμας.* Cf. Lobeck. Paral. I pg. 229 seqq. Fr. G. Schmidt. de ubert. or. Soph. II. pg. 10. Pflugk. ad Eur. Iph. T. 193. Koechly. ad Iph. T. 143. — Videmus igitur persaepe eiusmodi adiectiva snbstantivis apposita esse de eadem stirpe ductis; attamen cum praeter haec cum syllaba *δυς* composita illaque *κάματος εὐκάματος, πόρον εὔπορον* duo omnino apud Euripidem exempla legantur — Phoen. 1549: *τυφλόπους πούς*, quod immerito ob hoc ipsum acriter impugnat Geelius; Suppl. 1179: *τρίπους χαλκόπους* — non satis caute videtur Hermannus egisse, qui cum in Phoenissarum v. 184. defenderet lectionem *μεγαλανορίαν ὑπεράνορα*, contendit multa huius generis exempla apud omnes tragicos inveniri. Fabulae enim Aeschyleae quatuor tantummodo praebent exempla (Prom. 576. 585. Cho. 315. Eum. 690), Sophocles autem prorsus talibus abstinuit.

Restant denique nonnulla obiectiva sive rectionis composita. quae sunt eadem uber-

tate insignia. Hec. 102: *δοριθήρατος λογχῆς αἰχμῇ*. Troad. 877: *ναυπόρῳ πλάτῃ*. Iph. Aul. 172: *πλάτας ναυσιπόρους*; utroque enim loco *πλάτη* non remus est, sed navis. cf. Iph. Aul. 723: *εὐπρύμνοισι πλάταις*. ibd. 765: *εὐπρῴροισι πλάταις*. Or. 54. Hec. 39. — Adde Suppl. 604: *στερνοτυπεῖς κτύποι = στέρνων κτύποι* (ibd. 87). Herc. fur. 1201: *αἷμα παιδοφόνον* caedes liberos interimens. Or. 833: *αἷμα ματροκτόνον* caedes matrem interficiens. Or. 1649: *αἷμα τραγοκτόνον=φόνος* hircos caedens. Hel. 154: *φόναι θηροκτόνοι*. cf. Aesch. frg. 340: *αἷμα χοιροκτόνον*. Pflugk. ad Or. 833. Schoen. ad Bach. 139.

2. Venio ad aliud abundantiae genus in adiectivis compositis obvium. Innumera est in tragoedia graeca epithetorum compositorum multitudo, quorum ea est compositionis ratio, ut primo obtutu alterius partis notio prorsus videatur abundare. Verumtamen si quis recte expenderit singulorum membrorum notiones, saepissime luce clarius apparebit, reapse composita procul abesse ab inani redundantia; cf. quae satis copiose de hac re disputavit Io. Schmidt de epithet. compos. in trag. graec. usurp. Berol. 1865. Profecto autem si quo alio, hoc loco diversitas quaedam scriptorum statuenda erit haud neglegenda. Sophocles enim liberiorem componendi usum angustissimis cancellis circumscriptum voluit esse nec ita multa habet, in quibus alterum membrum tam nihil faciat ad sententiam, ut compositum pro simplici adiectivo usurpatum possit videri. Paullo minus considerate Aeschylus rem gessit, neque tamen adspirat ad Euripidis licentiam Quod quam vere statuerim testis est tritissima sane in fabulis Euripideis terminationis *πτυχος* suboles, quae numquam non excussa verbi *πτύσσειν* notione usurpatur. Med. 1136: *δίπτυχος γονή*. Ion. 1010: *δίπτυχον δῶρον*. Andr. 472: *δίπτυχοι τυραννίδες*. ibd. 578: *χεῖρες*. El. 1238: *σύγγονοι*. Hec. 1287: *νεκροί*. Iph. A. 474. 1289: *νεανίαι*. Or. 633: *ὁδοί*. Phoen. 1354: *παῖδες*. Or. 1303: *δίπτυχα φάσγανα*. Herc. fur. 474: *τρίπτυχοι τυραννίδες*. Or. 1513: *λαιμοί*. Phoen. 1635: *θρῆνοι νεκρῶν*. Tantam vero copiam qui consideraverit. mirabitur profecto, haec composita neque apud Aeschylum exstare. neque apud Sophoclem; nam quod legitur frg. Achill. Erast. 2. (157 Nauck.) *δίπτυχοι ὀδύναι*. recte illud fragmentum Sophocli abiudicasse videtur Dobraeus. — Ut autem in vocibus *δίπτυχος* et *τρίπτυχος* sola valet numeralis significatio, ita etiam in aliis quibusdam adiectivis cum adverbio numerali compositis. Poetae enim cum intellegerent. simplicis numeralis ieiunitatem parum decere tragici carminis sublimitatem. venustissime compositis usi sunt, ita tamen, ut secundae partis etymon notionem habeat ampliorem atque adeo non circumscriptam, ut facile delitescat. Herc fur. 1023: *τέκνα τρίγονα τεκόμενος*. Ion. 496: *κόραι τρίγονοι*. El. 1179: *δίγονα σώματα* de corporibus Aegisthi et Clytemnestrae. cf. Soph. frg 137: *φοίνιον μάσθλητα δίγονον*. — Iph. Aul. 277: *δωδεκάστολοι νᾶες* significatione nihil differt a *δώδεκα*; nam quod de huius vocabuli vi scite Ellendtius in lex. Soph. I 436 s. v.

δίστολος exposuit, id in Euripidis locum minime quadrat. Sophocles Oed. Col. 1058 Antigonam et Ismenam recte poterat appellare *τὰς διστόλους ἀδμῆτας ἀδελφάς*; „inest enim in *στόλος* elegans significatio, quod in ipso itinere a Theseo liberatum illas iri chorus auguratur.“ Pariter Soph. Phil. 496: *αὐτόστολον πέμψαντα μ᾽ ἐκσῶσαι δόμοις* sane prior compositi notio *αὐτός* ad sensum praevalet; neque tamen notio alterius partis neglegenda est; est enim *αὐτόστολος* „ipse parans“ scil. navem. In Iphigenia autem Aulidensi chorus classem contemplatur non mare percurrentem, sed in litore stantem. — Alc. 407: *λείπομαι φίλας μονόστολος ματρός* = solus. Phoen. 742: *λόχων ἀνάσσειν ἢ μονοστόλου δορός*. Aesch. Suppl. 496: *μορφῆς οὐχ ὁμόστολος φύσις* = *ὁμοῖος*. — Rhes. 5: *τετράμοιρος νυκτὸς φυλακή* propter eiusdem fabulae v. 542, quo docemur praesidium noctis in quinque partes divisum fuisse, nihil aliud potest esse, quam quarta noctis vigilia. J. Schmidt. l. l. pg. 54. — Iph. T. 263: *κοιλωπὸς ἀγμός* nil est nisi „cavus“; in nonnullis enim, quae proficiscantur ab *ὤψ*, terminationem nihil conferre ad significationem docet Herm. ad Ai. 221. Idem vero multo etiam melius potest probare adiectivum *ἐξώπιος*, quod cum apud solum inveniatur Euripidem nescio quomodo perplacuit poetae. Alc. 546: *δωμάτων ἐξωπίους ξενῶνας οἶξας*. Med. 624: *χρονίζων δωμάτων ἐξώπιος*. Suppl. 1038: *δόμων ἐξώπιος βέβηκεν*. Lepide igitur ob hoc ipsum vocabulum deridetur ab Aristophane Thesm. 811. — Hec. 121 in voce *μαντιπόλος Βάκχη* propemodum evanuit verbi *πολέω* significatio, quae in voce *νυκτιπόλος* = noctivagus satis sentitur. (Ion. 717: *νυκτιπόλοις Βάκχαις*. ibd. 1049: *νυκτιπόλων ἐφόδων*. frgt. 475: *νυκτιπόλου Ζαγρέως*). Porro procedant nonnulla composita a verbo *δέω* derivata. Or. 821: *μελάνδετον φόνῳ ξίφος* Pflugkius ita explicari vult, ut ensem significet quasi atrato margine effusi sanguinis circumdatum: id quod probari potest cum de ense agatur post perpetratam caedem *ἐς αὐγὰς ἀελίοιο δεδειγμένῳ*. Eadem vero explicatio vix sufficit Phoenissarum v. 1091; ibi enim Creontis filius *πύργων ἐπ᾽ ἄκρων στὰς μελάνδετον ξίφος λαιμῶν διῆκε*; itaque nisi statueris per prolepsin poetam *μελάνδετον* appellavisse ensem, qui ipsa demum caede atrato margine sanguinis circumdatur, illa Pflugkii explicatio locum non potest habere. Quare crediderim potius, parum respexisse poetam propriam verbi *δέω* significationem et *μελάνδετον ξίφος* prorsus eadem vi dixisse, qua scripsit Or. 1472: *μέλαν ξίφος*. Hel. 1652. cf. Or. 1148: *φάσγανον μέλαν*. — De voce *ταυρόδετος* (frgt. 475: *τ. κόλλη*.) copiosius in eam sententiam disputavit Schirlitzius pg. 78, ut dictum putet pro glutine taurino et vinciente; mihi quidem in hac explicatione posterius membrum prorsus languere videtur; est nihil aliud nisi quod exprimitur substantivo *ταυροκόλλα* i. e. gluten taurinum. — Etiam Rhes. 712: *ῥακοδύτῳ στολᾷ πυκασθείς* pro simplici adiectivo *ῥακόεις* positum putandum est, cum epitheton ad ipsius vestis notionem appositum sit. — Quae restant aut ab omnibus

poetis pariter admissa sunt quiescente alterius partis notione (ut adiectiva in *ειδης*, *ωδης* *ηρης* exeuntia), aut si Euripidis propria sunt, poterunt defendi. Quo iure poeta Phoen. 683 dixerit *διώνυμοι θεαί* annotatione sua comprobavit Klotzius; idem autem Andr. 277: *τρίπωλον ἅρμα δαιμόνων χαλλιζυγές* et Hel. 357: *τριζύγοις θεαῖσι* ab inanis redundantiae suspicione vindicare studuit. — Suppl. 993: *ὠκυθόαι νύμφαι*, si Schirlitzio credimus (l. l. pg. 55) est cursu celeres; non enim proparoxytonos *ὠκύθοος* intelligendum est, ut sit ex duobus synonymis conflatum, sed paroxytonos *ὠκυθόος*, formatum a verbo *θέω* pariter ac *βοηθόος*. — De usu vocis *ὁμόπτερος* (Phoen. 328: *ἀπήνη ὁμόπτερος* = par fratrum aetate propemodum aequalium; El. 560: *βοστρύχους ὁμοπτέρους* = capillum consimilem; cf. Aesch. Choeph. 174) vide quae congesserunt Valcken. ad Phoen. l. c. Abresch. ad Aesch. Choeph. l. c. Seidler. ad Eur. El. l. c. — Ac de vocabulis compositis abundantia quadam insignibus haec hactenus.

II. Proximum est, ut de iis locis breviter exponam, quibus adiectivum substantivi vices sustinet genitivo casu positi. Priusquam autem pergimus ad exempla perlustranda de talium adiectivorum ratione ac natura pauca praemonenda videntur esse. Qua in re viam monstravit Bernhardyus, qui cum in syntaxi graeca pg. 425 seqq. in universum de adiectivi graeci structura syntactica disputaret, hunc quoque usum paucis adumbravit. Recte enim vidit vir doctus, noluisse poetas, praesertim Atticos, composita fingere significationis determinativae ita, ut adiectivum cum substantivo in unius vocabuli corpus conflarent. Attamen cum ex altera parte casus genitivus parum arcto vinculo cohaerere videretur cum substantivo regente, plerumque adiectivo apposito expresserunt poetae, quod aut genitivo exprimendum erat, aut cum substantivo regente in solidum compositi corpus compingendum. Quamquam vero iam apud veterrimos poetas pauca passim eiusmodi exempla leguntur, (ex. gr. Hom. Il. 6. 528: *κρητῆρα ἐλεύθερον* = Freiheitsbecher; ibd. 24, 58: *γυναῖκά τε θήσατο μαζόν.* [1]) Pind. Pyth. VIII. 5: *Πυθιόνικος τιμά.*) tamen hoc dicendi genus in deliciis fuisse cum aliis poetis tragicis tum Euripidi recte statuit Bernhardyus l. l. Nec desunt scriptorum latinorum exempla. Liv. 22, 26: dictatoria invidia = die üble Stimmung gegen den Dictator; ibd. 29, 18: omni divino humanoque scelere liberari; Sall. Jug. 41, 2: metus hostilis; Cic. Phil. 5, 9, 24: pacata nequitia = Nichtswürdigkeit im Frieden. Cf. Naegelsb. stilist. lat. §. 300. Seiff. pal. Cic. pg. 25. — Omnino vero talis adiectivorum usus multo minus cadit in simplicia quam in composita. Substantiva enim simplicia raro adiectivorum naturam induunt nisi ita,

[1]) Scholiastes ad Il. 24, 58: *„τοὺς δὲ Ἀττικοὺς καὶ Δωριέας τοῖς κυριωτέροις χρῆσθαι ἀντὶ κτητικῶν· Ἕλληνα στρατὸν ἀντὶ τοῦ Ἑλληνικὸν καὶ ἄνθρωπον ἦθος ἀντὶ τοῦ ἀνθρώπινον καὶ Ἑλλάδα διάλεκτον."*

ut assumta aliqua terminatione adiectiva paullum immutentur; composita autem saepenumero sine ullo formae discrimine et substantivorum et adiectivorum partibus satisfaciunt. Itaque consentaneum est, propter usus facilitatem et affinitatem multo saepius composita in locum genitivi irrepsisse quam simplicia. Totam autem exemplorum Euripideorum seriem ita facillime in partes digerere possumus, ut spectemus diversas genitivorum rationes, qui adiectivis adhibitis exterminantur.

1. Primum minimeque implicatum genus tum fit, cum genitivus expellitur aut obiectivus aut subiectivus. Pauca adiectivorum simplicium exempla intermisceo. a. genitivus obiectivus: Iph. T. 72: *βωμὸς Ἕλλην οὗ καταστάζει φόνος* ara est ex qua Graecorum immolatorum sanguis stillat. Bach. 795: *θύσω φόνον γε θῆλυν*. Iph. A. 1595: *ὡς μὴ μιαίνοι βωμὸν εὐγενεῖ φόνῳ*. Hipp. 537: *βούταν φόνον*. Hel. 1591: *ταυρείου φόνου* El. 92: *αἷμα μηλείου φόνου*. Or. 89: *αἷμα γενέθλιον* caedes consanguinei, Verwandten-mord; ibd. 285: *αἷμα μητρῷον* caedes matris; Suppl. 148: *αἷμα συγγενές*. Herc. f. 1076: *αἷμα σύγγονον*. Ion. 1260: *αἷμα προστρόπαιον* caedes in supplice perpetrata: cf. Herc. f. 1161. ibd. 1272: *τετρασκελῆ πόλεμον* bellum qnadrupedibus illatum. Suppl. 1025: *γάμον Αἰγυπτογενῆ* matrimonium cum filiis Aegypti. b. Sequuntur ii loci quibus genitivus subiectivus expellitur. El. 205: *ποτὶ θῆσσαν ἑστίαν*. Alc. 2: *θῆσσαν τράπεζαν*. El. 207: *ἐν χερνῆσι δόμοις*; cf. Archiam in Antholg. VI. 39: *χερνῆτα βίον*. Ion. 1373: *οἰκέτην βίον*. Heracl. 699: *ὁπλίτην κόσμον*. ibd. 800: *ὁπλίτην στρατόν*. Rhes. 312: *ὄχλος γυμνής*. Suppl. 578: *λόγχη σπαρτός*. Herc. f. 1095: *νεανίαν θώρακα καὶ βραχίονα*. Hel. 209: *νεανίαν πόνον* (Kirchh.: *νεανιᾶν*) cf. Alc. 679; Phoen. 838: *παρθένῳ χερί* cf. Hipp. 1006; Med. 1209: *τὸν γέροντα τύμβον* = *τυμβογέροντα*; cf. Heracl. 166. Or. 529. Bach. 117: *θηλυγενὴς ὄχλος*. ibd. 1156: *θηλυγενῆ στολάν*. cf. Heracl. 130: *στολήν γ' Ἕλληνα*. Hel. 1382: *ναύφθορος στολή*; ibd. 1540: *ναύφθοροι πέπλοι*; Hec. 920: *ναύταν ὅμιλον*. Med. 770: *πρυμνήτην κάλων*; Suppl 10: *ἱκτῆρι θαλλῷ* cf. Soph. O. R. 143: *ἱκτῆρας κλάδους*. Hel. 376: *τετραβάμοσι γυίοις* = *θηρὸς τετραβάμονος γυίοις*. ibd. 386: *τεθρίππους ἁμίλλας*. — Hoc loco etiam numerandum erit illud *γηγενὴς μάχη* Ion. 987; nam cum per se dubitari possit, utrum subiective sit excipiendum an obiective, versu succedente (*οὗ', ἣν Φλέγρᾳ γίγαντες ἔστησαν θεοῖς*) verisimillimum fit, esse proelium a terrigenis susceptum (igitur subiect.) Altero loco, cujus infra mentionem faciemus Cycl. 5: *γηγενῆ μάχην δορός* procul dubio obiective debet excipi = proelium contra terrigenarum arma commissum. — Hec. 254: *ὅσοι δημηγόρους ζηλοῦσι τιμάς* sunt quicunque concionatorum laudem captant; Troad. 196: *ἀρχαγοὺς τιμὰς εἶχον*. El. 993: *βροτῶν τιμὰς σωτῆρας ἔχοντες* de Dioscuris. Iph. T. 1268: *μαντεῖον τιμάν*. frgt. 497: *ἀσκοῦσι χάριτας κερτόμους*. — Heracl. 819: *μονομάχου δι' ἀσπίδος* singulorum certamine, durch Einzel-Kampf. Phoen. 1325.

1363: *μονομάχῳ δορί*. Accedit denique locus ob audacissimam translationem satis notus Phoen. 328: *ἀπήνας ὁμοπτέρου*, ubi significaturus est poeta par fratrum et facie et annis consimilium. — Nonnulla tamen, quae hoc modo expediri posse Schirlitzii est sententia (l. l. pg. 96.) vix ausim ita explicare. Hipp. 68: *εὐπατέρεια αὐλή*, quamquam potest esse aula in qua versantur *οἱ εὐπάτορες* — quam quidem explicationem Lobeckium secutus proposuit vir doctus — aliter tamen explicandum videtur esse. Nam cum illo loco Diana, ut Iovis filia, laudibus efferatur, ad solum Iovem adiectivum spectare videtur, non ad omnes pariter domus Olympiae incolas. Quae quidem vera sit explicatio infra apparebit. — Difficillimus est locus Iph. T. 411: *φιλόπλουτον ἅμιλλαν αὔξοντες μελάθροισιν*, qui vehementer exagitavit interpretum sollertiam. Matthiaeus sententiam quidem loci recte explicavit verbis *περὶ πλούτου ἁμιλλώμενοι*. Putat illud *ἅμιλλαν αὔξοντες* dictum esse pro *ἁμιλλώμενοι* vel *ἅμιλλαν ἔχοντες*; saepe enim verbum *αὔξειν* de iis usurpari, quae magna sint; quod autem in comparationem vocavit Med. 557: *ἅμιλλαν πολύτεχνον* pro *ἁ. πολλῶν τέκνων*, id egregie falsus est vir doctus; vix enim *φιλόπλουτος ἅμιλλα* est *φίλων πλούτων ἁ.* Koechlyus in editione sua Seidlerum secutus enallagen auxilio vocavit, cum dictum putet pro *πλοῦτον μελάθροις σὺν ἁμίλλᾳ αὔξοντες*; quae vero ad sententiam probandam adhibuit exempla plane alius sunt generis. Versus enim Iph. T. 226 in libris manu scriptis aliter legitur et ab omni suspicione satis vindicatus est Klotzii nota pg. 50; Or. 990 autem *Μυρτίλου φόνον δικὼν ἐς οἶδμα* non est *Μύρτιλον σὺν φόνῳ δικὼν ἐς οἶδμα*, sed *φόνος* per simplicem metonymiam dictum est pro cadavere interfecti. Accedit quod prius adiectivi compositi membrum in explicatione illa plane evanescit. Quod vero ad infirmandam Schoenii sententiam argumentum exprompsit, id ego nullo modo possum probare. Contendit enim Koechlyus, toto loco non tam agi de crescente divitiarum cupiditate, quam de augendis ipsis divitiis. Parum recte. Nam quod poeta v. 411 dicit *φιλόπλουτον ἅμιλλαν*, idem brevi post alio modo expressit verbis *φίλα γὰρ ἐλπὶς . . . . ἄπληστος*. Qui studium divitiarum certatim cum aliis quaerendarum augent in animis nimisque alunt, tandem eo adducuntur, ut neglectis omnibus periculis et abiecta omni anxietate maribus ignotis et procellosis se dare velint et denique talem fortunam exhibeant, qualem naufragi illi; ipsa enim insatiabilis illa spes lucri hominibus perniciei est. *Φιλόπλουτον* igitur *ἅμιλλαν* dictum puto pro *ἅμιλλαν τοῦ φιλοπλουτεῖν*, certamen divitiarum expetendarum.

2. Quod quidem ad alterum genus nos traducit. Nam qui exterminatur adhibito adiectivo composito genitivus, potest esse genitivus infinitivi. Atque cum saepenumero lingua non eo perrexerit, ut ex adiectivo composito verbum fingeret eadem compositionis membra referens, interdum cogimur, ita rem expedire, ut integrum compositum ponamus casu praedicati, suppleto infinitivo *τοῦ εἶναι* vel *τοῦ γενέσθαι*. Procul dubio autem

Euripides in fingendis talibus compositis Aeschyli vestigia pressit, cuius in fabulis creberrima recurrunt huius usus exempla; cf. Todt. l. l pg. 56. Lobeck. ad Aiac. pg. 230. — Hel. 1474: *βούθυτος ἁμέρα* est *ἁμέρα τοῦ βουθυτεῖν*, dies sacrificus. (Ov. Met. 13, 590.) Similiter Aeschylus scripsit Choeph. 261: *βουθύτοις ἐν ἤμασι*, ubi exempla collegit Blomfieldius. Cf. Soph Trach. 609: *ἡμέρᾳ ταυροσφάγῳ* (ubi diversissima miscet Schneidewinus), *βουδόρα ἤματα*. Hes. Opp. 502 et quae ex posterioribus poetis et scriptoribus exempla congessit Lobeck. ad Aiac. pg. 229 seqq. — Iph. Aul. 1506: *λαμπαδοῦχος ἡμέρα* est *ἡμέρα τοῦ εἶναι λαμπαδοῦχον*; cf. Lycophr. 734: *λαμπαδοῦχος δρόμος*. Schol. ad Arist. Ran. 131: *λαμπαδοῦχος ἀγών*. — Iph. T. 53: *τέχνη ξενοκτόνος*. ibd. 776: *ξενοφόνους τιμὰς ἔχω*; cf. Pind. Pyth. VIII. 5: *Πυθιόνικον τιμάν*. — Phoen. 1300: *τάλανες, ὅτι ποτὲ μονομάχον ἐπὶ φρέν᾽ ἠλθέτην* aperte valet *ἐπὶ φρένα τοῦ γενέσθαι μονομάχοι* vel *τοῦ μονομαχεῖν*. Aesch. Eum. 496: *παιδότρωτα πάθεα* = *πάθος τοῦ γενέσθαι παιδότρωτον*. Hec. 362: *ἀνάγκῃ σιτοποιός* est *ἀνάγκῃ τοῦ εἶναι σιτοποιόν* vel *τοῦ σιτοποιεῖν*.

3. Restant nonnulla, quae quamquam simillima sunt, tamen non admittunt plane eandem explicationem. Ion. 664: *ἡδονὴ βούθυτος* sane potest esse voluptas boum immolandorum, voluptas immolationis; verum si quis recte perpendet totius loci sententiam, facili negotio animadvertet, aliam verbis vim esse subiectam. Iubetur enim Ion. *τῶν φίλων πλήρωμ᾽ ἀθροίσας βουθύτῳ σὺν ἡδονῇ* novam quam expertus est fortunam profectionisque consilium convivis exponere. Significatur igitur convivium laetitiae hilaritatisque plenum multarumque rerum, praesertim boum immolatorum apparatu laute instructum. Non est igitur *βούθυτος ἡδονή* = *ἡδονὴ τοῦ βουθυτεῖν* sed potius *ἡδονὴ γενομένη τῷ βουθυτεῖν*, voluptas ex bubus immolatis percepta. Tertium igitur genus tum fit, cum compositum ita explicari debet, ut ponatur participium *γενόμενος* cum dativo infinitivi. Atque cum talia adiectiva divinam quandam spirent oris tragici audaciam coloremque impingant sermoni vere poeticum, non mirum est, quod raro verba habemus ex iisdem membris composita; in verbis enim ossa et robur sermonis cernitur, non decor. (Todt. l. l. pg. 47.) Itaque qui adiectiva explicare conatur, saepenumero, cum verbum consimile non praesto sit, eo adducitur, ut adiectivi compositi membra dissecare debeat atque in explicando ponat infinitivum simplicis verbi cum casu pendente. Ceterum ne hoc quidem genus proprius procreavit ingenii Euripidei impetus; immo haud pauca eaque audacia exempla invenias in fabulis Aeschyleis (ex. gr. *ναρθηκοπλήρωτον πυρὸς πηγήν* Prom. 109. i. e. *πυρὸς πηγὴν γενομένην τῷ πληροῦν νάρθηκα* flammae fons, qui factus est arundinem replendo; cf. Todt. l. l. pg. 56). Euripidea haec fere sunt: Phoen. 338: *παιδοποιὸν ἀδονάν* = *ἡ. γενομένην τῷ παιδοποιεῖν*, voluptatem quae fit liberis gignendis. frgt. 541: *ἀνδροβρῶτας ἡδονάς* = *ἡ. γενομένας τῷ βιβρώσκειν ἄνδρας* seu *γενομένας τῷ ἀνθρωποφαγεῖν*, v. quae fit hominibus comedendis; similiter Herc. f. 385: *χαρμοναῖσιν ἀνδροβρῶσι*; cf. Anthol.

Palat. XV. 26. 17. Bach. 139: *ὠμοφάγος χάρις* = *χ. γενομένη τῷ φαγεῖν ὠμά*, gaudium quod fit cruda devorando. frgt. 475: *ὠμοφάγοι δαῖτες*, epulae quae fiunt cruda devorando, epulae cruda devorantis: qui quidem locus cum satis defendatur illo, quem modo posui, Baccharum versu, non opus est, ut scribamus proparoxytonos *ὠμόφαγοι δαῖτες* = epulae crude devoratae. — Herc. fur. 1154: *τεκνοκτόνον μύσος*; cf. Aesch. Eum. 281: *μητροκτόνον μίασμα*. Iph. T. 1200: *κηλὶς μητροκτόνος*; ibd. 384: *θυσίαις βροτοκτόνοις*. Alc. 1156: *βουθύτοισι προςτροπαῖς* = *π. γενομέναις τῷ βουθυτεῖν*, supplicationibus, quae fiunt boum immolatione. Heracl. 777: *πολύθυστος τιμά* honor qui multis sacris peragitur; cf. Aesch. Suppl. 705: *βουθύτοισι τιμαῖς*. Phoen. 347: *λουτροφόρου χλιδᾶς* = *χλ. γενομένης τῷ λουτροφορεῖν*. — Cf. Lobeck. ad Aiac. v. 324 pg. 227 seqq.

Vidimus igitur tria potissimum exstare genera adiectivorum, quae in genitivi locum invaserunt. Primum genus est eorum, quae genitivum expulerunt aut subiectivum aut obiectivum; alterius generis adiectiva recte explicari non poterunt, nisi integrum compositum posueris aut genitivo infinitivi aut casu praedicati, suppleto infinitivo *τοῦ εἶναι* vel *τοῦ γενέσθαι*; tertium denique genus ita facillime expedias, ut dativum infinitivi pendere facias ex participio *γενόμενος*. Quamquam autem qui accurate singuli loci sententiam perspicere studet, nullo negotio cognoscet, cuinam speciei singulum adjectivum recte adscribatur, tamen fatendum erit, interdum non satis firmos esse trium specierum fines. Potest enim fieri, ut merito quis haereat, cuinam generi adiectivum subiungat, cum duobus vel tribus pari iure adnumerari possit. (Schirlitz. l. l. pg. 97.) Sic ex. gr. Herc. fur. 1155: *τεκνοκτόνον μύσος* potest esse vel *μύσος τεκνοκτόνου* vel *μ. τοῦ εἶναι τεκνοκτόνον* vel *μ. γενόμενον τῷ κτείνειν τὰ τέκνα*. Plerumque vero qui diligenter indagabit poetae sententiam, intelleget aliquantulum discriminis inter singulas explicationes intercedere, quod tamen facilius persentiscas, quam verbis exprimas. Vide quae modo disputavimus de Ionis v. 664. —

III. Sequitur ut de iis adiectivorum ad substantiva adpositionibus disseram, quas hypallages quae dicitur figura solent explicare. Saepenumero enim fit, ut scriptores et graeci et latini adiectiva non ei apponant, ad quem proprie referenda sunt, casui pendenti, sed malint cum primario potius casu copulare. Imprimis autem Graeci, qua erant facilitate in compluribus notionibus ad constructionis unitatem complectendis, multiplici favebant talis traiectionis usui; cf. Bernhardyi synt. graec. pg. 426. Cumque apud omnes omnium temporum scriptores graecos sat multa inveniantur exempla, in deliciis fuisse hanc epithetorum transpositionem triumviris tragicis vix est quod miremur. Namque si iam circumspicimus transferendi causas, duas potissimum inveniemus. cf. J. Schmidt l. l.

pg. 22. Quarum cum altera in eo versetur, quod casus pendens cum nomine regente ad notionis unitatem coalescit, consentaneum est, tum maxime locum habere traiectionem, cum duo vocabula de industria per circumlocutionem posita sint ad singulam notionem cum gravitate quadam et ornatu exprimendam. Fugiens autem exilitatis dictio tragica cum sit creberrima in admittendis hominum rerumque circumlocutionibus, sane amplissimum praebet campum, in quo possit exspatiari traiciendi audacia.

1. Omnem vero de qua agimus transferendorum adiectivorum audaciam originem ducere ab iis locis, quibus substantivum regens cum suspenso unius rei notionem designat, optime possunt probare pronomina possessiva, quae legitime accommodantur nomini principali; cf. Lobeck. Ai. 7. pg. 74. not. Praeivit viam Homerus; Od. ξ. 197: *ἐμὰ κήδεα θυμοῦ* = mein Herzensleid. Eur. Andr. 584: *οὑμὸς δὲ γ' αὐτὴν ἔλαβε παῖς παιδὸς γέρας,* ubi *παῖς παιδὸς* ornate dixit pro eo quod tragoedia parum dignum est *υἱωνός*. [1] Bach. 1327: *σὸς παῖς παιδός.* Iph. A. 785: *ἐμοῖς τέκνων τέκνοις.* Phoen. 30: *τὸν ἐμὸν ὠδίνων πόνον.* Ion. 1337: *ὁρᾷς τόδ' ἄγγος χερὸς ὑπ' ἀγκάλαις ἐμαῖς.* cf. Pind. Olymp. VIII. 55. Herc. f. 468: *πεδία τἀμὰ γῆς.* cf. Soph. Oed. T. 1400: *τοὐμὸν αἷμα πατρός.* El. 1390: *τοὐμὸν φρενῶν ὄνειρον.* cf. Klotz. ad Alc. 537. Mathiae. gr. gr. pg. 835. Neque vero semper traiectum esse pronomen, docebit locus Androm. v. 1063, illis quos modo posui simillimus: *σοῦ γε παιδὸς παιδί.* cf. Troad. 339: *ἐμῶν γάμων εὐνᾷ.* — Atque ab his quidem initiis lenissimis dictio tragica ad tantam provecta est transferendi audaciam, ut quid fuerit extremum audentibus difficillimum sit dictu. Recte quidem Iacobsius in Anthol. Pal. VI. 230 ad vocem *ψήκτρης κνῆσμα σιδηρόδετον* monet „in periphrastica circumlocutione plerumque epitheton copulari cum eo quod periphrasin faciat;“ verumtamen si Mathiaeus ad Phoen. v. 30. contendit, ibi tantummodo locum habere „casuum enallagen,“ ubi vel substantivum cum genitivo periphrasi inserviat, vel genitivus commode abesse possit, profecto nimis severe iudicavit vir doctus. Vide enim ne respuant hanc regulam haud pauca ex iis, quae iam allaturus sum, exemplis Euripideis. Ac primum quidem eos proponam locos, quibus ad personarum rerumque dignitatem ipsa verborum gravitate depingendam periphrastico poeta enuntiato usus est. Ion. 1260: *ταυρόμορφον ὄμμα Κηφισοῦ πατρός.* cf. Soph. Trach. 527: *ἀμφινείκητον ὄμμα νύμφης.* Rhes. 383: *χρυσόδετον σώματος ἀλκήν.* Hel. 205: *Κάστορός τε συγγόνου τε διδυμογενὲς ἄγαλμα.* Troad. 1220: *Φρύγια πέπλων ἀγάλματα.* ibd. 1111: *πατρῷον θάλα-*

---

[1]) Lobeck. Phrynich. pg. 304: Quae communis usus recepit ea poesin dedecent; quae haec sibi vindicavit, oratores non attingunt. Ita tenui et medio dicendi generi *πάππος* et *υἱωνός* congruunt; in sublimiore, quale spirant tragicorum diverbia, aliquid electius anquiritur *πατρὸς πατήρ*, *παιδὸς παῖς*; hinc aliquot gradibus altius ascenditur ad *μητροπάτωρ* et *πατροπάτωρ*, quae iam longe supra communem usum elata sunt.

μον ἑστίας. Substantiva *ὄμμα, ἄγαλμα, ἑστία* his locis, ut persaepe alias, circumlocutioni inserviunt; adiectiva vero, quae proprie ad genitivos applicanda erant, casui potius regenti adaptata sunt. Quamquam igitur concedendum erit Iacobsio, plerumque in periphrasi epitheta ei vocabulo apponi, quod primarium sit in circueundo, tamen non semper poetae hac lege sese obstringi passi sunt. Testis est versus Troadum illi, quem modo exscripsi, vicinus 1208: *σκυλευμάτων Φρυγίων κόσμον*, qui ob ipsam verborum similitudinem optime rem illustrabit. Addo Troad. 800: *νάσου περικύμονος ἕδραν*, ubi epitheton copulatur cum notione *νάσου*, quamquam *νάσου ἕδραν* procul dubio periphrasis est. Cf. Rhes. 278: *ποίας πατρῴας γῆς ἐρημώσας πέδον*. frg. 562: *γῆς πατρῴας πέδον*. Iph. T. 136: *πατρῴων οἴκων ἕδρας*, quae tamen minoris momenti sunt ideo, quod *πατρῴα γῆ* pro una *πατρίδος* voce substitutum est. — Sunt haec dictionis mere periphrasticae specimina, a quibus non multum recedunt El. 877: *τέθριππον ἡλίου σέλας*. Hel. 341: *τέθριππά θ' ἁλίου ἐς κέλευθα*. Troad. 860: *ὦ καλλιφεγγὲς ἡλίου σέλας*. Aesch. Prom. 91: *τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου*. — Phoen. 1635: *τρίπτυχοι νεκρῶν θρῆνοι*. Cycl. 5: *γηγενὴς μάχη δορός*. Or. 225: *βοστρύχων πινῶδες ἄθλιον κάρα*. cf. notam Klotzii. In his enim omnibus tam arcte genitivi cohaerent cum nominibus regentibus, ut aptissime compares vernaculae linguae composita, ut Sonnenglanz, Sonnenbahn, Sonnenball, Todtenklage, Speerkampf, Lockenhaupt. Quomodo autem affirmari possit, genitivum in talibus, ut supervacaneum, commode omitti posse, ego non adsequor. Quid enim sibi volunt *τέθριππα κέλευθα, τέθριππον σέλας* absente, quae ad sententiam maxime necessaria est, *ἡλίου* notione? — Addo pauca adiectivorum simplicium exempla. Ion. 1240: *θανάτου λεύσιμον ἄταν*. Hel. 1304: *ποτάμιόν τε χεῦμ' ὑδάτων*. Beller. frg. 17, 7: *θερμὰ ἡλίου τοξεύματα*. Androm. 1086: *τρεῖς φαεννὰς ἡλίου διεξόδους*. Ion. 1516: *ἐν φαενναῖς ἡλίου περιπτυχαῖς*. El. 465: *φαέθων κύκλος ἀελίοιο*. Alc. 217: *μέλανα στολμὸν πέπλων*.

2. Atque si iam ex nonnullis eorum, quae consideravimus, satis elucebat, traiectorum adiectivorum usum nimis angustis a Matthiaeo cancellis esse circumscriptum, id multo etiam magis patefiet, si ad ea animum adverterimus, quae non poterunt expediri priore illa quam supra posuimus transferendi causa. Sat multa enim occurrunt traiectionis specimina, quae non admittant arctiorem casus suspensi cum regente coniunctionem. Itaque siquidem re vera adiectivum ad casum pendentem proprie referendum erat, aliam oportet investigemus hypallages excusationem. — Ut a lenissimis ordiamur, primum affero nonnulla adiectiva simplicia, quae populi vel gentis notionem exprimunt. Andr. 159: *Ἠπειρῶτις ψυχὴ γυναικῶν*, quocum licet conferri Aesch. Pers. 246: *Περσικὸν δράμημα φωτός*. Soph. Trach. 993: *Κηναία κρηπὶς βωμῶν*. Aristoph. Lysistr. 196: *Θάσιον οἴνου στάμνιον*. Lucret. I. 475: Alexandri Phrygio sub pectore. v. 24: Nemeaeus hiatus leonis Memoratu imprimis dignum est

ob sensus ambiguitatem Iph. A. 1253: *λέκτρων ἁρπαγὰς Ἑλληνικάς*; audienti enim Graeci raptores videbantur dici. Porro Alc. 600: *ἀλόχου νέκυν ἀρτιθανῆ*. Herc. f. 450: *γραῖαι ὄσσων πηγαί*. Phoen. 1062: *δράκοντος αἷμα λιθόβολον*. Or. 988: *πτανὸν δίωγμα πώλων*. Iph. Aul. 1059: *θίασος ἱπποβότης Κενταύρων*. Hipp. 1428: *μουσοποιὸς παρθένων μέριμνα*. ibd. 1140: *νυμφίδια λέκτρων ἅμιλλα*. Quae quidem haud ita magnam mihi videntur spirare audaciam; nam cum constet, singulos locos tanto plus habere offensionis, quanto minus notio adiectiva accommodata est ad substantivum regens, his locis non multum refert, utrum proprie epitheton iungas cum genitivo, an cum substantivo consocies primario. Non minus bene enim, quam *ἄλοχος* etiam *νέκυς* dici potest *ἀρτιθανής*; sicuti senis oculos recte *γραίους* vocare possis, etiam lacrimarum fontes ex luminibus stillantes hoc epitheto apte describuntur. Deinde *δράκοντος αἷμα* non tam sanguis est serpentis, quam caedes; quare cur conjungi nequeat *αἷμα λιθόβολον* ego non video. — In Orestis fabula Pelopis equos, quippe qui a Neptuno deo donati et aligeri fuisse traderentur a mythologis, optime iure *πτανός* epitheto poterat depingere; quod vero felicissima quadam audacia non tam ipsos equos, quam equorum impetum alatum voluit dicere, quis est qui reprehendat?

Sed reliqua iam videamus exquisitiora. Phoen. 1058: *ἑπτάπυργα* habes *κλῇθρα γᾶς*, quamquam si severa logices praecepta respicis, *κλῇθρα* nullo modo „septem turribus instructa" possunt vocari. — Thetidem deam fuisse marinam in vulgus est notum; verum tamen Thetide ortum Electr. 450: *Θέτιδος εἰνάλιον γόνον* suo periculo nuncupavit Euripides. — Longe tamen plurima huius generis exempla ea poterunt explicari poetarum licentia, qua id solent rebus tribuere, quod proprium est animantium. Andr. 399: *σφαγὰς μὲν Ἕκτορος τροχηλάτους*; Rhes. 606: *Ἕκτορος καρατόμους σφαγάς*; Troad. 564: *καρατόμος ἐρημία νεανίδων*; Ion. 1055: *Γοργοῦς λαιμοτόμων ἀπὸ σταλάγμων*; Iph. Aul. 771: *δοριπόνοις ἀσπίσι καὶ λόγχαις Ἀχαιῶν*; cf. Aristoph. Lysistr. 831: *Γαύαντος τάφον μουσόφθαρτον*; Pind. Pyth. IX. 146: *λεύκιπποι Καδμείων ἀγυιαί*; Eur. Hipp. 394: *θυραῖα φρονήματ᾽ ἀνδρῶν*. Pariterque de animalibus: Herc. f. 883: *ἑκατογκεφάλοις ὄφεων ἰαχήμασι*; Cycl. 59: *ἀμερόκοιτοι βλαχαὶ τεκέων*. Quae longe exsuperantur audacia iis quos adhuc seposui locis. Rhes. 255: *τετράπουν μῖμον θηρός*; Herc. f. 1040: *ἄπτερον ὠδῖνα τέκνων*; Bach. 867: *χλοεραῖς λείμακος ἡδοναῖς*; Ion. 113: *ὦ νεηθαλὲς καλλίστας προπόλευμα δάφνας*; non sine summa enim violentia epitheta ista cum substantivis coniunguntur. Talia si ad severam rationis normam dirigere volumus, nullo modo stare possunt; verum etsi justa explicatione carent, tamen satis solent excusari violentissimo qui singulis locis depingitur affectuum motu. Ceterum tenendum est, ne hoc quidem nomine Sophoclem, diligentissimum poetam, a semet ipso descivisse, siquidem exquisitiora huius generis specimina sapienter evitavit. — Atque si iam quaerimus, quae

sit altera illa transferendi causa, idcirco epitheta saepenumero non suis videntur applicata nominibus, quod vis eorum tantopere praevalet, ut pro licentia tragici sermonis eum sibi locum deposcant, unde et ad nomen regens et ad genitivum referantur. Cf. J. Schmidt. l. l. pg. 23. — Cumque omnino perdifficile sit dictu, quibus finibus se tenuerit poetarum in transferendis adiectivis audacia, non mediocriter augetur rei difficultas, cum ne codicum quidem auctoritate semper satis possimus confidere; haud raro enim dissident inter se atque discordant. Sic ex. gr. Phoenissarum v. 1635: *τριπτύχους θρήνους νεκρῶν* in nonnullis codicibus aliter legitur (*τριπτύχων νεκρῶν γόους*); in Alcestidis v. 538 alii libri *ξένων πρὸς ἄλλων ἑστίαν* exhibent, cum alii praebeant *ἄλλην*; Phoen. 604 Byzantini librorum scripturam *ὦ θεῶν βωμοὶ πατρῷοι* correxerunt, cum mallent *πατρῴων*. Quare etiamsi non probanda est criticorum levitas, qui interdum, quo cuiusque libido ferebat, transvertere adiectiva non dubitaverunt (Lobeck. ad Aiac. pg. 83), tamen recte videntur fecisse interpretes recentiores, qui contra Hermanni auctoritatem (ad Viger. pg. 891) locum duplici hypallage insignem corrigerent. (Herc. f. 396, ubi nunc legitur *χρύσεον πετάλων ἀπὸ μηλοφόρων χερὶ καρπὸν ἀμέρξας* pro eo quod est in codice *χρυσέων . . . μηλοφόρον*).

IV. Reliquum est, ut de eo adiectivorum compositorum genere breviter exponam, quod vix expedias, nisi compositi membra divelleris. Namque uti iam supra dixi, multae notiones, quae communi sermone seiunctim enuntiantur, a poetis ad unitatem vocabuli conectuntur, quo gravius ac vehementius poetica vis earum ac cohaerentia eluceat. Quare ei qui poetae graeci verba nostro usui accommodare vult, solidum compositi corpus in membra quasi disiciendum est. Ac primum quidem fieri potest, ut pars compositi adiectiva vel adverbialis ad nomen, unde pendebat, sese applicet, pars autem substantiva sui iuris fiat genitivoque casu enuntietur. Sic Hipp. 757: *κακονυμφοτάτη ὄνησις* nihil aliud potest significare nisi *κακίστην νύμφης ὄνησιν*, pariter atque *ὀξύχειρι σὺν κτύπῳ* apud Aeschylum Choeph. 23 non est „sonitu celeri manu confecto" sed potius stridulo manuum sono i. e. *ὀξεῖ κτύπῳ χειρός* cf. Ellendt. s. v. *μεσόμφαλος*. II. pg. 84. Similia sunt: frg. 462: *καλλιχόρους ἀοιδάς = καλὰς χορῶν ἀοιδάς*. Iph. T. 12: *τὸν καλλίνικον στέφανον, Ἰλίου = καλὸν νίκης τῆς κατ᾽ Ἰλίου στέφανον*. El. 865: *καλλίνικον ᾠδάν*. Phoen. 858: *καλλίνικα στέφη*. Adde nonnulla a syllaba *εὖ* derivata: Iph. T. 1139: *εὐάλιον πῦρ = καλὸν* sive *εὐφεγγὲς ἡλίου πῦρ*. Phoen. 1618: *εὔτεκνος ξυνωρίς* generosum par liberorum *καλὴ τέκνων ξ*. Ion. 424: *εὐτέκνους χρησμούς μ᾽ ἐνεγκεῖν = καλοὺς περὶ τέκνων χρησμούς*. argument. Rhes. *εὐσέληνον φέγγος = καλὸν σελήνης φέγγος*. Cf. Schoen. ad. Eur. Iph. T. 1083 illius edit. —

Longe tamen usitatior ea est ratio, ut adiectiva ex substantivo et adiectivo composita ita debeant dissolvi, ut utrumque membrum genitivo ponatur: quod compositionis genus,

rarissimum apud Aeschylum, ne dicam plane inusitatum, aliquoties legitur in fabulis Sophocleis saepiusque recurrit in Euripideis. Nonnulla ex iis, quae modo percensuimus, iure haereas an rectius huc referas. Nec minus incertum potest videri, utrum Hipp. 68: *εὐπατέρειαν αὐλάν* rectius interpreteris *εὐδαίμονα πατρὸς αὐλάν* an *πατρὸς εὐδαίμονος αὐλάν*. Loco tamen, qui verborum similitudine ad illum proxime accedit, Ion. 1073: *ἁ τῶν εὐπατριδᾶν γεγῶσ' οἴκων*, eo perducimur, ut posteriorem amplectamur interpretationem. — Rhes. 260: *κακόγαμβρος γόος* aperte luctus est, qui versatur in calamitatibus consobrini; utrum explices *κακὸς γαμβροῦ γόος* an malis *κακοῦ* (infelicis) *γαμβροῦ γόος* non multum refert; quocunque autem modo res se habet, id certe tenendum est, eo nomine hoc compositum discrepare a praecendentibus, quod *γαμβροῦ* genitivus est obiectivus; cf. Schirl. l. l. pg. 47. — Iam vero procedant ea, quae sine ulla dubitatione aliter excipi nequeunt. Med. 1010: *δόξης δ' ἐσφάλην εὐαγγέλου* = *ἀγαθῆς ἀγγελίας*; cf. Aesch. Ag. 262: *εὐαγγέλοισιν ἐλπίσιν*. Pind. Nem. X. 71: *εὐάγων τιμά* = *ἀγαθῶν ἀγώνων τιμά*. — Iph. T. 1234: *εὔπαις ὁ Λατοῦς γόνος* = eximius infans fuit Latonae filius. cf. Herc. f. 689. Ion. 491: *βιοτᾶς εὔπαιδος ἐχοίμαν*. Alc. 904: *ᾧ κόρος ἀξιόθρηνος ὤλετ' ἐν δόμοισιν μονόπαις* iuvenis, qui esset unicus filius. Itaque Or. 964: *Περσέφασσα καλλίπαις θεά* deam significat, quae pulchrae filiae naturam habeat: interpretationem enim huius compositi possessivam reiciendam esse docte comprobavit Schirlitzius l. l. pg. 53 in annotatione; vide etiam Klotzii notam in edit. Or. pg. 139. — Herc. f. 839: *καλλίπαις στέφανος* = *καλῶν παίδων στέφανος*. Ion. 169: *καλλιφθόγγους ᾠδάς*. Iph. T. 1574: *καλλιπαρθένου δέρης*, quod cur *καλῆς παρθένου δέρην* significare non posse Ellendtius contendat (lex. Soph. II. pg. 86) ego non assequor. — Med. 557: *ἅμιλλαν πολύτεκνον*. Soph. Ai. 55: *πολυκέρων φόνον* = *πολλῶν κερασφόρων ζώων φ.* quamquam haec scholiastae sententia parum credibilis videtur Lobeckio pg. 101. — Troad. 232: *ταχύπουν ἴχνος ἐξανύων* cf. Bach. 169: *κῶλον ἄγει ταχύπουν*. Soph. El. 699: *ὠκύπους ἀγών*. — Alc. 441: *μελάμπεπλος στολή* = *μέλανος πέπλου στολή*, nisi mavis abundantiam statuere vocabuli *πέπλος* (= *μέλαινα στολή*). frgt. 359: *τριπάρθενον ζεῦγος* = *τριῶν παρθένων ζεῦγος*, ex tribus virginibus constans iugum. — Phoen. 1351: *λευκοπήχεις κτύπους χεροῖν* scholiasta intellegi vult traiecto adiectivo *λευκοπήχεων χερῶν κτύπους*; quem sequitur Lobeckius ad Ai. pg. 73. analogiis nisus, quae sane multae praesto sunt, ut *εὐπήχεις χεῖρες* aliis id genus; recte tamen opponit Schirlitzius pg. 102, nullo alio loco pari modo hypallagen cum abundantia coaluisse. Itaque praeoptanda videtur alia interpretandi ratio; *λευκοπήχεις* enim *κτύποι* intellegendi sunt *λευκῶν πήχεων κτύποι*; genitivus autem *χεροῖν* toti enuntiato ad augendam perspicuitatem per epexegesin additus est. — Idem est usus adiectivi *μεσόμφαλος*, cuius exempla Euripidea haec sunt: Or. 331: *μεσόμφαλοι μύχοι*. ibd. 591: *μεσομφάλους ἕδρας*. Phoen. 239: *μεσόμφαλα γύαλα Φοίβου*. Ion. 462:

Φοιβήιος ἔνθα γᾶς μεσόμφαλος ἑστία. cf. Soph. Oed. R. 480. Aesch. Sept. 747. Choeph. 1036. Ellendt. lex. Soph. s. v. — Restat denique locus, qui valde exagitavit interpretum sollertiam, Hel. v. 1: *καλλιπάρθενοι ῥοαί*: quod compositum utrum sit determinativum (*καλῶς παρθενικαί, ἀγνόρυτοι* ut utar Aeschyli invento Prom. 435.) an possessivum (in quibus habitant *καλαὶ παρθένοι*) minime concordant viri docti; vid. Lobeck. Paralip. II. pg. 372. Schirl. pg. 43. annot. Klotz. ad Hel. l. l. et ad Or. 964. Quamquam autem dubitari potest, mihi maxime probabilis videtur Hermanni sententia, qui aquas Nili nullius cum alius fluvii aquis commixtas, sed ex solis nivibus prognatas significari contendit, praesertim cum provocare possimus ad Aeschyleum illud *παρθένου πηγῆς μέτα* Pers. 613 et ad Latinorum „aqua virgo." —

Quae adhuc perlustravimus, adiectiva erant composita ex adiectivo et substantivo; accedunt nonnulla, quorum pars posterior a verbo derivata est, ita tamen, ut, si poetae verba ad communem dicendi usum revocare volumus, duo genitivi, alter substantivi, alter participii, e composito sint eliciendi. Cycl. 127: *βορᾷ χαίρουσιν ἀνθρωποκτόνῳ* = *ἀνθρώπων φονευθέντων.* frgt. 268: *σκῦλα βροτόφθορα* = *σκῦλα βροτῶν φθαρέντων.* cf. Soph. Antg. 1022: *ἀνδροφθόρου βεβρῶτες αἵματος λίπος*, si quidem genitivum statuimus esse adiectivi *ἀνδρόφθορος.* — Alc. 184: *ὀφθαλμοτέγκτῳ πλημμυρίδι* = *ὀφθαλμῶν τεγγομένων.* Iph. A. 1515: *ῥανίσιν αἱματορρύτοις.* — Denique Iph. T. 1083: *ἐκ πατροκτόνου χερός* locus est singulari audacia insignis. Nam qui inspexerit locum nullo modo poterit dubitare, quin manus patris significetur caedem filiae adferens (*πατρὸς κτείνοντος χείρ*); iure autem mirabitur, quod Euripides nomen et participium activum in unum compositi corpus conflare non dubitavit, cum pars compositi verbalis nominalem non regat, sed utrumque membrum sui iuris videatur esse. Atque cum frustra ni fallor studium ponamus in conquirendis aliis eiusdem audaciae exemplis ex tragicorum fabulis depromptis, pauca eiusdem generis specimina videtur suppeditare effrenata lyricorum licentia. Pind. Pyth. I. 72: *ναυσίστονον ὕβριν* ignominiam navium ingemiscentium. Anthol. Pal. IX. 321: *κροτάλων θηλυμανεῖς ὄτοβοι* strepitus mulierum insanientium. Cf. J. Schmidt l. l. pg. 21. Lobeck. ad Ai. pg. 232. Matthiae. ad Hippol. v. 68. —